Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36520
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Tollitur et gradibus lucet uia candida summis.
At tua congestis tumulant holocausta ruine
Quod meruit tua docuit docuere rapinis.
Pompeianę acies quibus extirpata per omnes
Terrarum pelagique plagas tua membra feruntur.
Exilius uagus huc illuc fluitantibus errat
Iudeus. post quam patria de sede reuulsus.
Supplicium pro cede luit Christumque negatum.
Sanguine respersus commissa piacula soluit.
Ex quo prescriptorum uirtus defluxit auorum.
Seruit ab antiquis dilapsa fidelibus heres.
Nobilitas. sed iam non nobilis illa recentum.
Suspectat captiua fidem uis tanta nouelle.
Credulitatis inest Christum confessa triumphat.
Gens infida prius. Christi seducta negatrix.
Subdit impio. dominos sortita fideles.

Contra homuntionitas.

Sunt qui iudaico cognatum dogma furori.
Instituunt media Christum ratione secuti.
Hoc tantum quod uerus homo est atque editus illum.
Affirmant non esse deum. pietate fatentur.
Maiestate negant. mortalem p laude sacratum.
Concelebrant. adimunt nature summa superne.
Omne opus egregium per quod sollertia pollens.
Emicat ingenii est aut roboris illud acuto.
Corde uigens. duris excellit uiribus istud.
Mortale est sed utrumque. hominis nam cuncta senescunt.
Ingenia et ualidos consumunt secla lacertos.
Hec nos in domino uirtute et laude perenni.
Non sequimur. sequimur nullo quod semine terre
Germinat inmundum quod non de labe uirili.
Sumit principium. tenere illum seminat ignis.

Non caro nec sanguis patrum nec feda uoluptas.
Intactam thalami uirtus diuina puellam.
Sincero adflatu per uiscera casta maritat.
Incomperta ortus nouitas iubet ut deus esse
Credatur: Christus sic conditus innuba uirgo.
Nubit spiritui. uitium nec sentit amoris.
Pubertas signata manet grauis intus et extra.
Incolomis florens defetibilitate pudica.
Iam mater sed uirgo tamen maris inscia mater.
Quid tremuis quid inane caput non credule quassas.
Angelus hoc sancto pronunciat ore placet nec
Credere et angelicis aurem reserare loquelis.
Ipsa coruscantis monitus sacra uirgo ministri.
Credidit atque ideo concepit credula Christum.
Credentis nam Christus adit dubitabile pectus.
Sub dubitante fide refugo contempnit honore.
Virginitas et prompta fides Christum bibit aluo.
Cordis et intactis condit paritura latebris.
Crede quod emissos solio patris angelus infit.
Vel si concretus liquidam desiderat uocem
Non capit auditus. mulier quod coniuge pregnans
Clamat anus. credens et tandem sobrius audit.
Mira fides utero puer interceptus anili.
Virgineum dominum materno ex ore salutat
Primus et infantem non natus nunciat infans.
Iam uirum uagiret s. nam pusio nondum.
Nomen et ora deo reserabat garrula Christo.
Promite secretos fastos date pandite librum.
Quem mittit spirante deo quem sanctus Esayas.
Percensere libet et calamique reuoluere sulcos.
Sydereas quis illa notas manus aurea duxit.
Hic hinc dum rutilos apices summissus adoro.